

ARGO
IASONIS SARMATICI

Vellere aureo

Conclusionum Philosophicarum instructa.

Quas

Ex Cursu biennali

Nobilis olim & Admodum Reuerendi

GABRIELIS WŁADYSŁAWSKI,

Præpositi Varsauień. Liberalitate fundato decerptas Cultissimis erudito labore ingenijs, in Lycœo Academico proponet.

Nobilis & Rñdus Fælix à Rzeszow RZESZOWSKI

Præsidente.

Admodum Rñdo Dño Paulo HERCIO, *Collega Maiore Custode Opatouień. Can: Curzel: & S. A.*

Nuper eiusdem Cursus Vladislauiano Professore.

Anno Dñi M. DC. XL. Mense Die

CRACOVIÆ,

In Officina Christophori Schedelij, S. R. M. Typogr.

In Stemma Illustriſſ: Gentis ZADZICIANÆ,



Quæ ratis eſt? ARGO: quas merces portat, ab oris
Longinquis? vellus Iaſonis aureolum
Firma columna notat quid? Libertatis amorem;
Gentis ZADZICIæ Nobile præſidium.
Fœlicem Nauim! fœlicia pignora Nauis!
Quæ pretioſa ſuæ dant bona Sarmatiæ.

Felicianus à Smogorzow Waſowic
Philoſophia & I. V. Studioſus.

Illustrissimo & Reuerendissimo Dño,

D. IACOBO ZADZIK,

Dei & Sedis Apostolicæ gratia Episcopo Cracouieñ. Duci Seueriæ, &c. &c.

Almæ Academiæ Crac: Cancellario dignissimo Dño & Patrono suo Clementissimo.

IN hoc aduentu Tuo perauspicato Crac: Illustriss: Dñe, plurimum sumus exhilarati omnes atq; recreati; Deoq; Opt: Max: gratias agimus immortales, quod Te prudentissimi consilij Senatorem, veræ libertatis vindicem, huius Diœcesis pastorem, Academiæ nostræ Cancellarium dignissimum, pauperum Patronum amplissimum, post illius grauissimi morbi asperam conflictationem, saluum & incolumen videamus, vtq; quàm longissimos in annos videre possimus inuicem comprecamur. Porro ego Tuus Illustriss: Dñe, cliens

ens obsequentissimus, sine munere, nec audeo, nec debeo, Tuum amplissimum prodire in conspectum: non quod vlla bonorum fortunæ indigeas accessione, sed vt animi mei officiosam atq; promptam cognoscas testificationem. Gratissimum igitur munus fuerit apud Te Illustrissime Dñe, ARGO Nauis Palladis ingenio, ita artificiosè fabricata, vt malum habuerit loquacem; quâ Iason, cum lectissimis Græciæ Heroibus, consilio Chyronis præceptoris in Colchum nauigauit, Phineæq; vatis (quem suo in Regno ab Harpijs liberauit) cautione, itineris rationē didicit, petras Cyaneas adiit, Symplegadas, siuè concurrentia saxa, è quibus occultus ignis scatebat, periculo columbæ vitauit, Thyniadem Insulam, & Mariadynos, & Acherusiam, montesq; Paphlagonum, tum Stymphalidum Insulam, cæterasq; populorum Regiones, & vrbes innumerabiles, accessit, vidit, superauit: cæterum cum Colchos venisset, Tauros Æripedes, efflantes naribus ignes perdomuit, peruigilem Draconem iugulauit, vellus insuper aureum, cuius gratia, tot loca periculosissima adijsset, tot monstra vicisset, tot Regiones peragrasset, lucratus est. Et ingeniosissimi quidem Poëtarum interpretes, multa de Iasone de ARGO Naui, de aureo vellere comminiscuntur, cum hæc omnia sub inuolucris fabularum, à Diuinis hominibus conficta sint, vt sub alienis exemplis, expressam nostræ vitæ rationem cerneremus. Quid enim Iason denotat, nisi Viri

ri Ciuisq́; boni personam? quid ARGO *fœlicissima Nauis, nisi in prosperis & aduersis rebus constantiam? quid vellus aureum commendat? nonne rectam rationem atq́; prudentiam? qua quis omnes vitæ actiones temperat, affectus coërcet, iusta decernit, nec si fractus illabatur orbis de recta sententia dimouetur. Et merito Tuam* ARGO-*nauim demiramur atq́; suspicimus Iason Sarmatice, Illustrissime Dńe, quâ tot labores superasti, tot pericula vicisti, tot Reipub. negotia prudentissimè constantissimèq́; tractasti, perfecisti; fluctus Patriæ compescuisti, militum tumultuantium animos ad temperiem reuocasti, hostium furorem coërcuisti, Patriam restituisti libertati. Nonne enim Tauros Æripedes efflantes naribus ignes auspicijs Serenissimi* VLADISLAI IV *Bellatoris fœlicissimi, victoris fortissimi, Dńi nostri Clementissimi, cuius ad latus præsto præsensq́; fuisti in Moschouia, cum vecordes perduelles temerè in cædem, vulnera, mortem, ruerent, grauissima Tua, prudentia, & authoritate, flexanimaq́; Eloquentia, paci, libertati, saluti reddidisti. At ille nonnè peruigil, & nostro exitiale Imperio spirans venenum fuit Draco, cuius tu in Prussia non robore sed consilio rigidas ceruices infregisti. Porrò vellus aureum, nonnè Tua* ARGO *fouet liberalissimè, in contubernio Hierosolymitano, in quo & Illustrissimi Cardinalis* ZBIGNEI OLESNICII *memoriam retinuisti, & Tuam pietatem, benefi-*

 ficen-

ficentiam, fidem, æternùm ab omni posteritate celebrandam firmissimè fixisti, secureq́ collocasti. Itaq́ D. Pater Ioannes CANTIVS, cui Patrono, profutura Apotheosi, eximiam Magnificentiam probasti Tuam, suis feruentissimis precibus efficiat apud DEVM gloriosum, vt Te nobis, Ecclesiæ, Academiæ, Tuæq́ ARGO Nauim cum aureo vellere, valetudine firmissima florentissimum conseruet. Quod superest, me quoq́ Tuum Illustrissime Dńe Clientem infimum, & obsequentissimum, Patrocinio, gratiâ, authoritate vt decet quidẽ Tantum Mæcenatem, Tantumq́ Patronum erige, & subleua: cuius tutelæ, me, meaq́ omnia officia, studia, labores, istamq́ præsentem lucubrationem Philosophicam, perquam submisse subijcio, & consecro. Dat: è Contubernio Garuasciano Die 8. Octobr. Anno Domini, 1640.

Illustrissimæ Cels. T.

humillimus & obsequentissimus Cliens
Fœlix à Rzeßow Rzeßowski
Philosophiæ & I. V q́ Studiosus.

CONCLVSIONES
Ex
L O G I C A.

I.



OGICA quæ à doctis viris oculus mentis, cynoſura rationis, ianua Philoſophiæ, oraculum veritatis, ars artium & ſcientia ſcientiarum iuremeritò appellata eſt, inſufficienter in naturalem & artificialem diuiditur; præter naturalē enim & artificialem danda eſt Logica quæ ſit verè ſcientia, & Logica quidem artificialis eſt practica, Logica verò ſcientia eſt Speculatiua.

2. Docens & vtens non ſunt diuerſi habitus, ſed ſolùm eiuſdem habitus diuerſa officia, idem enim habitus prout docet eſt modus ſciendi regulatiuus, prout verò vtitur executiuus, vnde Logica docens & vtens æqualiter extenduntur, & vbi reperitur Docens, ibi & vtens reperiri poteſt: Logica tamen docens & Logica ſcientia habitus ſunt ſpecie diuerſ ideoq; Logica docens non eſt verè ſcientia Speculatiua, ſed Practica.

multo

multo verò minus vtens, proinde neq; Philosophiæ pars propriè appellari poteſt.

3. Obiectum Logicæ adæquatum neque ſūt voces, neque res omnes, neque intellectus operationes, quatenus dirigibiles, neq; ſyllogiſmus, neq; ens rationis ſumptum in communi: ſed Logicæ artificialis, obiectum eſt modus diſſerendi in fieri, Logicæ verò ſcientiæ modus diſſerendi in facto eſſe. Eſt verò Logica artificialis non ſolū vtilis, ſed & neceſſaria ſimpliciter ad quamlibet ſcientiam perfectè & ſciētificè perdiſcendam vel inueniendam.

4. Variæ apud Philoſophos Logicæ diuiſiones inueniuntur, diuiditur enim in naturalem & artificialem, Docentem & vtentem, Veterem & Nouam, in inuentiuam & iudicatiuam, Analyticam, Dialecticam, Sophiſticam, in partem directiuam primæ operationis, directiuam ſecundæ, directiuam tertiæ, &c. quæ quidem diuiſiones certis rationibus ſaluantur.

5. Datur præter Ens rei ſiue reale, Ens rationis eſtq; multiplex; Grammaticum, Rhetoricum, Arithmeticum, Phyſicum, Metaphyſicum, Morale Theologicum,&c. potiſſimum autem eſt Logicum, quod ſolum habet eſſe obiectiuè in Intellectu.

6. Neque ſenſus, neq; phantaſia, neq; memoria,

ria, neq; voluntas, facere possunt Entia rationis: non etiam Intellectus Diuinus, sed solùm humanus: cæterum Ens rationis habens fundamentũ in re, sufficienter diuiditur, in Priuationem Negationem, Relationem.

7. Materiale Vniuersalis in essendo & prædicando; non sunt voces, vel nomina, sed ipsa natura abstracta formale verò, secunda notio obiectiua, quæ est in natura, per modum aptitudinis, in multis inferioribus essendi, ac de illis prædicandi: licet igitur dentur vniuersalia, formaliter tamen accepta ante operationem intellectus non dantur, ad quorum constitutionem requirũtur vnitas, aptitudo, appetitus, relatio.

8. Vniuersalia siue Prædicabilia sunt 5. Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens, Generis natura optimè definitur, dum dicitur esse id, quod de pluribus Specie differentibus in eo quod quid est prædicatur: iam verò Genus non prout contractum per differentiam, neq; cum exclusione vlterioris perfectionis sumptum, sed vt est totum quoddam confusè continens quidquid in Specie continetur prædicatur de eadem.

9. Licet Genus ordine intentionis prius respiciat Indiuidua, quàm Species, ordine tamen executionis, prius Species quàm Indiuidua. Rectè verò definitur Species, siuę dicatur esse id,

quod prædicatur de numero differentibus in eo quod Quid est: id, quod generi subijcitur siue id de quo genus prædicatur, per posteriores si quidem prouteſt subijcibilis per primá vt est prædicabilis explicatur.

10. Species Vniuersale non est, prout subijcitur generi; sed quatenus sua inferiora respicit: potest in vno indiuiduo benè cõseruari, aliter de genere dicendum, hoc enim secundum suam potentialitatem & latitudinem perfectionis essentialis, in vna specie non potest conseruari.

11. Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur, ideò non est Vniuersale: est verò triplex Phisicum, Metaphisicum, & Logicum: est præterea aliud Substantiale, aliud Accidentale, aliud Vagum, aliud determinatum, idq; vel nominatione, vel demonstratione, vel suppositione, vel circumlocutione.

12. Differentiæ diuisio in Communem, Propriam, & maximè propriam, est analoga: prout verò tertium Prædicabile constituit, non respicit hanc vel illam Differentiam, sed inferiora contenta sub specie, quam constituit; Est autem quælibet differẽtia genere suo perfectior; infimæ verò non includunt subalternas, nec genera, sed sunt simplices conceptus, ideò de illis genera & subalternæ differentiæ materialiter tantùm prædicantur.

13. In

13. In 4 modos Proprij diuiſio eſt analoga, quorum quartus prædicabile conſtituit: Non eſt autem Proprium, Vniuerſale, per reſpectum ad Speciem, è qua fluit; ſed per reſpectum ad Indiuidua, illius Speciei.

4. Optimè definitur Accidens quod adeſt & abeſt ſine ſubiecti corruptione, vbi adeſſe & abeſſe nihil aliud ſignificant, niſi contingentiam Accidentis quod prædicatur, & indemnitatem ſubiecti in ſua Quidditate, ex conuenientia & diſconuenientia talis Accidentis.

15. Definitiones Æquiuocorum, Vniuocorũ, Denominatiuorum, traditæ ab Ariſtotelæ ſunt bonæ, ſub æquiuocis analoga continentur, quæ ſufficienter in analoga proportionis & proportionalitatis diuiduntur; Ratio verò ſignificata per nomen analogum, in analogis proportionis, debet eſſe intrinſecè in principali analogato, extrinſecè in alijs, in analogis verò proportionalitatis, intrinſecè in omnibus reperitur.

16. Decem ſunt Summa Genera, ſiue Prædicamenta. Subſtantia primùm locum inter ea obtinet, cuius formalis ratio eſt eſſe per ſe ſecundũ aptitudinem, hoc verò Genus ſupremum Subſtantiæ, eſt Subſtantia completa ex Ente creabili, & propria Subſtantia aptitudinali conſtituta.

17 Subſtantia quando diuiditur in primam

& secundam, diuiditur in diuersos modos subsistendi, scilicet particulariter & vniuersaliter, ex quibus, alter est realis, alter rationis. DEVS verò gloriosus, neq; directè neq; reductiuè ponitur in prædicamẽtò, præter eum omnes Substãtiæ siue creatæ siue creabiles, corporeæ, incorporeæ, animatæ inanimatæ simplices mistæ in eo collocãtur

18. Quantitatis ratio formalis, est extensio partium in ordine ad se, hæc diuiditur in Continuam & discretam: Prioris Species, Linea, Superficies, Corpus, Locus, & tempus. Posterioris, Numerus & oratio; Proprietates illius non suscipere contrarium, magis minusq;, & mensurari per eam res secundùm æqualitatem & inæqualitatem.

19. Datur Relationis prædicamentum, cuius Supremum genus est realis relatio, prout comprehendit omnes relationes secundùm rem, & nõ transcendẽtales, vel rationis; omnis verò Relatio prædicamẽtalis terminatur ad relatiuũ non ad absolutum. Dicuntur vero relata ad conuertentiam, non suscipiunt magis & minus, & simul sunt natura ac cognitione.

20. Qualitas est secundùm quam dicimur esse Quales, hæc definitio licet non sit perfecta, retinenda attamen: Species Qualitatis asignantur Habitus & dispositio, Naturalis Potentia & impotentia

tentia, Pasſio & pasſibilis Qualitas, forma & figura: Proprietates eius, magis & minus ſuſcipere tum contrarium, Res ſimiles vel disſimiles vocare.

21. Vltima genera ſex in ſuâ ratione includunt formas quaſdam, & accidentia intrinſeca, relicta in ſubiecto ex aliquo extrinſeco: cæterùm Actio, definitur actus ſiue perfectio agentis. Pasſio, perfectio patientis. Vbi, circumſcriptio corporis à loco proueniens. Quando, id quod ex adiacentia temporis relinquitur. Situs, Ordo partium in loco. Habitus, adiacentia eorum quæ circa corpus ſunt.

22. Poſtprædicamenta communiter 5. numerantur, Oppoſitio, Prius, Simul, Motus, & Habere, Oppoſitio 4. habet Species: Relatiuam, Priuatiuam, contrariam, Contradictoriam, quarum hæc maxima in genere oppoſitionis, Relatiua in genere Entis & perfectionis.

23. Voces non ſolum ſunt ſigna rerum ſed etiam conceptuum; licet per voces immediatè ſignificentur conceptus, res verò ſecundariò & mediatè; cæterùm nomina non ſignificant res naturaliter ſed ex hominũ impoſitione, ſẽtimus tamẽ non eſſe temerè nomina imponenda rebus, nec quemlibet poſſe cuilibet rei nomen asſignare.

24. Principia Enunciationis ſunt Nomen &

Verbum, Illud est, quod ad placitum significat sine tempore; hoc verò, quod significat tempus, cuius pars nulla seorsim significat, & est semper eorum quæ de altero prædicantur nota.

25. Ad Enunciationem constituendam, non requiritur rerum compositio, prout in se sunt, ad hoc vt secunda operatio dicatur compositio, sed sufficit compositio simplicium conceptuũ: cùm Enunciatio sit Iudicium quoddam componens atq; adeò compositio quædam conceptuum simplicium, non pro se sed pro rebus significatis acceptorum.

26. Enunciationis diuisio in Affirmatiuam & Negatiuam, est adæquata, & vniuoca; cùm & nulla sit propositio quæ non affirmet aliquid vel neget, præterea Affirmatio & Negatio participant æqualiter & independenter vnius ab altera naturam Enunciationis essentialiter tamen per oppositas differentias distinguũtur.

27. Veritas est in rebus, fundamentaliter; quia ab eo quod res est, vel non est, intellectus quoq; verus vel falsus dicitur. In intellectu verò formaliter & essentialiter; conformitas enim illa vel difformitas quæ formaliter est veritas vel falsitas intellectui inest. In enunciatione verò siue voce siue scripto facta, est significatiuè.

28. Ex duabus propositionibus contradicto-

rijs

rijs, de eadem re, ſingulari liberè & contingenter futurâ, altera in determinata, eſt determinatè vera altera vero indeterminata eſt determinatè falſa, hoc ē vel hæc aut illa ſub diſiūctioneē vera velfalſa

29. Tres Enunciationis proprietates Oppoſitio, Æquipollentia, &Conuerſio optimè aſsignātur; cæterum iſtæ non conſequutur propoſitionem ſecundum ſe; neq; ratione habitudinis partium ſiue terminorum nimirùm ſubiecti & prædicati; tales enim proprietates ſūt, Verū falſū, Ampliatio, Reſtrictio, ſuppoſitio ſed cōſequūtur Enunciationem ex comparatione vnius ad alteram.

30. Diſcurſus formaliter eſt vnus actus ſpecie materialiter verò multi; atque formaliter conſiſtit in illatione conſequentis ex antecedente, eſtq; operatio Intellectus eſſentialiter diſtincta à prima Materia diſcurſus ſunt Enunciationes cùm ſuis partibus; Forma, poteſtas in ferendi. Efficiens, anima Rationalis. Finis, inueſtigatio rei ignotæ.

31. Syllogiſmus eſt Oratio in qua quibuſdam poſitis, aliquid aliud neceſſariò conſequitur, eò quòd hæc poſita ſint: hinc collige nullum dari verum Syllogiſmum qui ſit ſolum illatiuus & non etiam probatiuus: Concluſionem vero licet ſit pars materialis Syllogiſmi, eſſentialem tamen ſcias eſſe.

32. Non

32. Non possunt plures figuræ vel pauciores assignari, præter tres; ideò ex triplici combinatione medij cum extremis; Galeni igitur figura tanquam sine necessitate multiplicata, tum quia non est naturalis; non habet prætereà vim illatiuam, distinctam ab illatiua virtute primæ, procùl reijcitur.

33. Cognitio nostra non est reminiscentia, neqúe fit ab agente aliquo extrinseco, sed de nouo in nobis ex præexistenti cognitione acquiritur; optimè verò Philosophus duas solùm ponit præcognitiones Quid est, & Quod res est. Tria verò præcognita, Principia, Subiectum & Passionem.

34. Præmissarum assensus, est causa efficiens assensus Conclusionis, ideoq; positis assensibus præmissarum, & euidentia consequentiæ vnà cùm apprehensione terminorum, intellectus necessariò assentitur Conclusioni, tàm quoad speciem, quam quoad exercitium actus.

35. Demonstrationem siue definiueris vnà cum Philosopho Syllogismum facientem scire, siue constantem ex veris, primis, & immediatis, non errabis. Debent verò præmissæ demonstrationis esse de omni, per se, & de prædicato vniuersali.

36. Demonstratio optimè diuiditur in propter Quid demonstrationem, & Quia est, namq;

per

per membra opposita traditur, quorum vnum infert contradictoriam negationem ad alterum.

37. Datur de rebus Scientia, quæ optimè definitur esse cognitio rei per causam, propter quam res est, & quod illius est causa, & non contingit hoc aliter se habere: optimè diuiditur in subalternantem & subalternatam: quarũ subalternata accidentali tantum conditione à subalternante distinguitur. vnus] verò & idem actus intellectus, non potest esse simul Scientia & Opinio.

38. Vnitas & distinctio tàm Generica quàm specifica Scientiæ, non desumitur ab obiecto formali in esse rei seu à ratione Quæ; sed ab Obiecto in esse scibili, seu à ratione formali sub Qua, quæ accipienda est ex abstractione à materia, si vnitas generica scientiæ constituenda; vel à distinctione specifica principiorum, si vnitas specifica fabricanda.

39. Præter Demonstratiuum Syllogismum, Topicus & Sophisticus dari debent, hoc enim & materiæ & finium varietas expostulat, ideoq; hæc Syllogismi diuisio tradita ab Aristotele est bona.

Ex PHILOSOPHIA Naturali.

I.

RErum naturalium cognitio, cùm & rerum eſſentias per proprietates, & proprietates per eſſentias, cauſasq; per effectus, & contra explicet, eſt propriè ac vere ſcientia; eaq; ſpeculatiua, vt potè ſola obiecti contemplatione contenta; certitudini eius, nihil particularium naturarum incertitudo derogat, in ſua æterna eſt, conſtans, & immobilis, veritate.

2. Particulam Entis ad conſiderandum accipit, ſed ô quanta Philoſophantium diſſenſio quæ illa ſit? eorum claſſem ingredimur qui Ens mobile pro adæquato & proprio ſtatuunt obiecto: alij vel latiora magis tradunt, vel materialia non formalia. Analogia huius Entis mobilis, ſtat cũ vniuocatione ſcibilitatis, abſtractio eius eſt à Subſtantia & Accidente, ideoq; non ſolùm ſubſtantialis, ſed etiam accidentalis mobilitatis reſpicit principia.

3. Cùm

3. Cùm omnia intra latitudinem Naturalis ſcientiæ comprehenſa, ſub eadem tractentur abſtractione, & ſecundùm eandem habitudinem ad motum, idcircò Phyſicam eſſe vnam Scientiã, Specie atoma non dubitandum, neque impedit vnitatem prædictam à communiore Entis mobilis contemplatione, ad minus communem deſcenſus.

4. Optimè Principiorum rerum naturalium natura explicatur à Philoſopho, cùm ea dicit eſſe quæ neq; fiunt ex alijs, neq; ex alterutris, ſed omnia ex ipſis. Dari verò illa in reb9 naturalibus, licet à priori deduci nõ poſsit, rectè tamen à poſteriori ſcilicet ex tranſmutatione.

5. Tria eſſe principia rerum naturalium in fieri; duo in facto eſſe: affirmamus. Illa cõtraria, hæc non, contrarietas in illis non eſt ratione materiæ, ſed ratione priuationis & formæ in materiâ, contrarietatem tamen intellige non qualis eſt inter accidentia, ſed prout eſt incõpoſsibilitas quædam formarum.

6. Materia prima datur neceſſario, eaque eſt primum ſubiectum vniuſcuiuſq; ex quo aliquid fit per ſe & nõ ſecundùm accidens; ita eſt pura potentia, vt omnem actum excludat etiam Entitatiuum, ideòq; exiſtentia propria caret, nec poteſt ſine forma etiam diuinitus exiſtere.

7. Licet ſit pura potẽtia, imò quia pura potẽtia, habet naturalẽ appetitum ad formas, quẽ Doctor Angelicus deſiderium appellat hoc æquale in ea eſt tam ad nobiles quàm ad ignobiles, & remanet in ea etiam ad iam amiſſas formas recipiẽdas, niſi ab extrinſeco impediatur.

8. De potentia materiæ educuntur formæ, id eſt dependent in fieri & eſſe à materia in genere cauſæ receptiuæ & paſsiuæ; non tamen ideò præexiſtunt in materia, ſiue in eſſe poſsibili, ſiue in eſſe eſſentiæ; forma corporeitatis, & interminatæ dimenſiones, fruſtra materiæ adſtruuntur.

9. Animam rationalem de potentia materiæ educi, & contra fidem & contra Philoſophiã eſt. cùm nec in eſſe nec in fieri pendeat ab ea. Formæ quoq; cœlorum & Elementorum in prima ſua productione non de potentia materiæ eductæ, ſed ad creationem totius concreatæ ſunt; iam accidentales, cõnaturales tamen ſuis ſubiectis, & ab eorum eſſentia emanantes, coèduci dicuntur.

10. Priuatio eſt verum rerum naturaliũ principium, cùm ab ea per ſe generatio proficiſcatur, ſed in fieri nõ facto eſſe; à materia, ſola diſtinguitur ratione; in qualibet autem materia tot priuationes ſunt, quot ſunt formæ quibus caret, cùm priuatio abſentia formæ ſit.

11. Ex Materia & Forma fit vnum per ſe; licet

non

non immediatè vniantur materia & forma per ſuas Entitates, cùm requirant aliquem nexum quo vniantur à ſe diſtinctum, qui nullus alius eſt niſi vnio; hæc non eſt Entitas rigoroſè accepta, ſed modus quidam Subſtantialis; qui vnus eſt non multiplex; cùm ſit nexus, vinculum, complexus extremorum.

12. Totum Phyſicum ſiue Compoſitum, à partibus ſimul ſũptis & vnitis, ſola ratione ratiocinata diſtinguitur, eſſet enim alias aliquid in toto præter partes & vnionem, quod non videtur; neq; obſtat quod partes tanquã cauſæ ordinentur ad totum tanquam effectum, ordinantur enim tanquam cauſæ intrinſecæ, inter quas & effectum non requiritur realis diſtinctio.

13. Sufficienter Naturæ naturam explicat Philoſophus, cùm eam dicit eſſe principium & cauſam Motus & Quietis eius in quo eſt primò per ſe & non ſecundùm accidens; hinc collige materiam & formam eſſe propriè naturas, animam quoq; hominis non ſolum vt formam ſed etiam vt rationalem; Compoſitum verò non eſt natura, ſed potius habet naturam. Cæterum analogicè Natura materiam & formam reſpicit.

14. Magnum inter Naturam & artem eſt diſcrimen, propter differentias earum eſſentiales, ideoq; & habitu & effectu non conueniunt; Natu-

 ræ ta-

ra tamen Arte est præstantior; & licet ars naturam sæpè perficiat, non potest tamen vi sua, tanquam causa per se aliquod opus naturale efficere, sed solum prout per naturam operatur, actiua passiuis applicando.

15. Causa est, ad cuius esse sequitur aliud, quæ consecutio non quæuis sed per influxum intelligenda; eius genera nempe causæ sunt 4 ad quæ omnes aliæ reuocantur; in quæ quidem genera causæ diuisio, non est immediata, neq; in species atomas, analogicè quoq; causa prædicta genera respicit.

16. Causa in actu secundo considerata, prior est effectu suo naturâ, siue prioritate à quo, non in quo: causæ quoq; intrinsecæ sigillatim consideratæ imperfectiores sunt effectu, coniunctim eiusdē perfectionis cū cōposito; causæ verò extrinsecæ aliquādo perfectiores effectis, aliquādo īperfectiores, aliquādo æquales effectib9 ī perfectione

17. Materia & forma constituuntur causæ in actu primo per suas essentias; cæterùm causalitas materiæ in fieri, est generatio recepta in materia, causalitas verò eiusdem in facto esse, est vnio Substātialis prout in ipsa materia recipitur, & actu recipit formam, eam limitat, statuitq; cōpositum.

18. Informare materiam & eandem limitare

est

eſt cauſalitas formæ, ad quam ſolam præciſè ſi comparetur compoſitum ſecundùm illud eſſe quod ab ea ſolùm habet, modaliter ſolummodo ab ea diſtinguitur; ſi verò comparetur abſolutè tanquam effectus cauſatus ab his cauſis intrinſecis, ſic realiter differt, & tanquam ab incluſo includens.

19. Licet cauſalitas Ideæ poſſet ad efficientem & finalem reduci, propriè tamen reuocatur ad formalem, cum nec per ſe effectiua ſit, nec coincidat cum fine.

20. Cauſa efficiens eſt, à qua primò motus incipit; eius cauſalitas non eſt relatio ſed aliquid abſolutum; ideoq; actio, quatenus motum vel ordinem habet ad paſſum, & vt importat fieri aliquid paſsiuè ex parte effectus non eſt cauſalitas eius, ſed prout dicit actum ſecundum ipſius agentis, hoc eſt ipſam emanationem.

21. Non accidentia Agentis, ſed forma Subſtantialis, eſt cauſa principalis producendæ Subſtantiæ, licet verò forma Subſtantialis præcipuum ſit principium & ratio agendi, non tamen eſt immediatè operatiua, cùm repugnet immediatum eſſe operandi principium creatam Subſtantiam.

22. Nullus datur influxus partialis, à forma Subſtantiali deriuatus, formas accidentales operatiuas

ratiuas ad ſubſtantiæ productionem corroborans, ideoq; virtus accidentalis Subſtantiæ non eſt propriè inſtrumentum ipſius.

23. De ratione inſtrumenti eſt quod operetur vt motum ab alio; debet tamen habere vim agendi diſtinctam, à vi cauſæ principalis, cùm non participet actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantum per aliquod ſibi proprium diſpoſitiuè operatur ad effectum principalis agentis.

24. Prima cauſa DEVS ſcilicet glorioſus immediatè & actu concurrit cùm cauſis ſecundis, ad omnes & ſingulas earum actiones; neq; vero ſimultaneo concurſu tantum, ſed etiam præuio, quo nimirum ſecundas cauſas ad ſuos actus præmouet, & Phyſicè prædeterminat.

25. Fortuna & Caſus non ad aliam cauſam præter efficientem reducuntur, illa in liberè, hic in neceſſariò agentibus eſt; licet verò ſint cauſæ, ſed per accidens: Fatum verò non eſt ſimpliciter cauſa ſed aliquid cauſæ: hoc dari & Philoſophus & Theologus proclamant.

26. Finis, qui eſt cauſa vera Phyſica & realis, cauſalitas eſt ipſe amor finis, non vt pendet à voluntate elicitiuè, ſed ab ipſo appetibili paſsiuè.

27. Quamuis ſola creatura rationalis vt Angelus, Homo, verè agat propter finem, tamen & agentia naturalia ex ſe & ex natura ſua agunt propter

pter eum; nec impedit quod ab extrinſeco intelli-gente ad ſuos fines dirigantur, vel quod finem formaliter non cognoſcant.

28. Idem numero effectus à duabus cauſis eiuſdem ordinis totalibus & adæquatis produci non poteſt, repugnat enim id & ex parte cauſæ & ex parte actionis & ex parte effectus: ſi tamen diuerſi ordinis cauſæ ſint, poteſt ab eis totalibus vnus numero effectus produci.

29. Motus eſt actus entis in potentia prout in potentia: ad quam Motus definitionem à Philoſopho traditam, non ſolum ſucceſsiui motus omnes reuocãtur, ſed etiam in inſtãtanei, cùm & tales mutationes ſint actus Entis in potentia.

30. Motus à termino ad quem non diſtinguitur ſola ratione, neque reali in rigore accepta; ſed formali reali vel modali; ſimiliter iudica de actione & paſsione tum inter ſe tum motus ab vtroq;.

31. Actiones tranſeuntes non ſunt in agente tanquàm in Subiecto ſed in paſſo; alias per ipſam actionem tranſeuntem formaliter & intrinſece mutaretur agens. Motus tamen generaliter ſumptus, eſt in mobili; cùm hoc, antequam moueatur, ſit in potentia ad motum.

32. Sicut tres ſunt Species motus propriè dicti nimirum augmentatio, alteratio, locimutatio,

ita quoq; Motus ad tria prædicamenta per se & propriè terminatur nempe ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.

33. Specifica Vnitas motus non est petenda à motore vel agente, neq; à mobili, neq; à termino à Quo, sed à termino ad Quem: iam vero vnitas numerica motus ex vnitate numerica mobilis, termini, & temporis, est desumenda.

34. Contrarietas motuum per se primò & formaliter, non sumitur ex terminis contrarijs à quibus, sed ex contrarijs ad quos; quamuis etiam in contrarietate motuum omninò perfecta, contrarietas in terminis à quibus debeat inueniri.

35. In mutationibus Substantialibus quales sunt, generatio, corruptio, contrarietas non sumitur ex contrarietate terminorum ad quos, sed ex accessu & recessu eiusdem termini: Inter motum verò & quietem, ex terminis oppositis in quibus aliquid quiescit vel mouetur, contrarietas desumenda.

36. Præter DEVM gloriosum, qui est actu secundùm essentiam & simpliciter, in omni genere Entis infinitus, nullum aliud de facto datur, aut dari potest, per vires naturæ vtrum autem per absolutam Dei potentiam saltem in magnitudine vel intensione, vel in aliqua alia perfectione dari posit, problema esto.

37. Non melius explicabis locum, præterquã si dixeris, Esse superficiem corporis ābientis immobilis, debet enim simpliciter & absolutè esse immobilis, immobilitas verò eius: sumenda est, ex distantia ipsius certa: ad partes fixas vniuersi, hoc est ad polos cœli & centrum terræ.

38. DEVS gloriosus, omnia loca & spatia huius mundi per immensitatem suæ Substantiæ replet neq; spatio huius mundi circumscribitur, aut definitur: sed extra hunc mundum realiter est in seipso sicut erat ante mundum conditum. Angeli verò sunt definitiuè in loco, vniuersa verò corpora circumscriptiuè.

39. Quamuis non implicet duo vel plura simul esse in eodem loco vt à fide docemur, tamen implicat contradictionem vnũ corpus circumscriptiuè esse in duobus locis, mera enim est implicantia contineri loco & esse extra illum.

40. Per absolutam DEI potentiam posset in natura dari vacuum licet actu non detur, sed nec per Angelicam virtutem: multo minus inferiorem aliquam dari posset. Quod si daretur per Dei potentiam, posset in eo fieri motus non solum localis succẽsiuus, sed etiam augmentationis, alterationis, generationis, corruptionis.

41. Tempus omnino est aliquid reale est verò numerus motus, secundùm prius & posterius:

per numerum, numeratum intellige id est multitudinem partium motus cœlestis à nobis numeratam, distinctam, & ordinatam, ad alias durationes mensurandas.

42. Tempus extrinsecum, quod est duratio motus primi mobilis, differt à motu inferiorum realiter: Tempus verò intrinsecum, quod est ipsa duratio motus inferioris, non nisi ratione. Cæterùm in rebus permanentibus duratio non est aliquid diuersum ab earum existẽtia, sed addit extrinsecam connotationem & dependentiam ab actione. In rebus verò successiuis duratio fit per superadditionem cxistentiæ ad existentiam.

43. Tempus secundùm suã essentiam sumptũ quamuis essentialiter non multiplicetur, materialiter tamen & numericè multiplicatur ad subiectorum multiplicationẽ: hoc verò tempore Substantia corruptibilis, etiam quoad suum esse substantiale mensuratur.

44. Omnia Entia Naturalia, tam viuentia, quam nõ viuentia determinata sunt ex vi suæ naturæ ad maximum, cùm virtutem formæ Substantialis finitam habeant & determinatam. Non viuentia verò habent terminum suæ paruitatis intrinsecum, alias enim forma eorum posset introduci in tam exiguam materiam in qua non posset operari.

45. In

45. In motibus Physicis non potest aliquid à se primò moueri, sed necesse est, vt quidquid mouetur, ab alio moueatur; sed tamen in mouentibus essentialiter subordinatis non datur in infinitum processus; ideòq; optimè Philosophus deduxit hũc dari primum motorẽ eumq; vnicum & ĩmobilẽ.

46. Primus motor debet esse & est æternus, perfectissimus, omnis expers compositionis, estq; sua intellectio & volitio, & obiectum primum ac per se suæ intellectionis, omnia extra se mouet in genere causæ efficientis & finalis.

Ex libris de Cœlo & Mundo.

47. Mundus hic aspectabilis, qui ad similitudinem Archetypi factus est, non nisi vnus est; quamuis plures à DEO fieri possunt: datis enim his ex hypothesi, neq; diminueretur actiua potentia DEI, neq; passiua rerũ creabiliũ exhauriretur.

48. Mundus potest dici imperfectus imperfectione negatiua, cùm eo posit dari perfectior non solum quoad numerum rerum, sed etiam, multiplicitatem Specierum. Creaturæ verò quæ in mundo sunt, quoad essentiam non poterant fieri perfectiores, licet quoad accidentia optimè.

49. Non ab æterno sed in tempore factus est mundus, neq; poterat ab æterno quoad successiua Entia creari; licet quoad permanentia nihil repugnaret

pugnaret

pugnaret tùm ex parte Dei, tùm ex parte Creaturæ, ad extremum ex parte creationis, vt crearetur.

50. Cœlum eſt corpus Naturale, ſimplex, ex materia & forma compoſitum, diuerſæ naturæ ab Elementis, incorruptibile, non eſt animatum, intelligentiæ enim cœlorum motrices non ſunt formæ eorum informantes, ſed aſsiſtentes tantùm. Materia eorum diuerſæ rationis, à ſublunarium materia.

51. Apparitio nouarum ſtellarum in cœlis, cognitio eorum quæ antea ignota erant, vtpote quòd Lunæ corpus ſpongioſum, aſperum, varijsq; locis interciſum videatur, quòd Veneris ſtella creſcere & decreſcere cernatur, quòd ſtellæ quædam circà Iouem animaduerſæ ſint, maculæ itidem in diſco ſolaris corporis, non tollunt cœlorum incorruptibilitatem.

52. Orbes cœleſtes diuerſæ ſunt rationis ſpecificæ, mouenturq; ab intelligentia aſsiſtente, non à propria forma; licet motus eorum Circularis ſit illis naturalis: Aſtra verò ad motum ſuorum orbium mouentur: optimè verò poteſt duobus contrarijs motibus vnũ corpus moueri, ſi eorum vnus ſit per ſe, alter per accidens.

53. Cœlum motu lumine & influentijs agit in corpora ſublunaria per ſe & directè, in voluntatem

tatem

tatem tamen noſtram & intellectum non niſi per accidens, magis tamen pertingit ad intellectum quam voluntatem, ideoq; Aſtrologi licet in coniunctionibus oppoſitionibus & ſiderum determinandis non errent, in his tamen quæ ſunt humanæ voluntatis. habent quidem ſed parum probabilitatis.

54. Dari in rebus generationem Subſtantialem eſt euidentiſsimum, quæ eſt acquiſitio ſeu mutatio formæ Subſtantialis à priuatione illius in materiâ, Generatio tamen ſumpta in communi, quatenus ſe extendit, ad Subſtantialem & accidentalem, eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe in Subiecto.

55. Generatio in Diuinis, non eſt aliqua mutatio, ſed ſolum communicatio actus puri aſsimilatiua termini generali principio generanti; ſecus generatio creata, cùm habeat cauſam materialem ex qua fit eſſentialiter, eſt mutatio; ideoq; rectè per mutationē tanquam per genus definitur.

56. Generatio eſt actio realiter diſtincta à tota præcedenti alteratione, licet vt aliquid generetur, omninò requirantur in materia præuiæ diſpoſitiones; Vniuerſaliſsimè verò ſumpta generatio, habet pro termino per ſe & quod vltimatè, ipſum compoſitum: pro termino autem vt Quo, Vnionem.

57. In generatione Subſtantiali Subiectum mutationis eſt materia prima, iam verò Subiectum inhæſionis, non materia ſed compoſitione: quamuis verò generatio & creatio completa, in termino totali materialiter ſumpto conueniant, attamen tàm ex parte termini formalis, quam ex parte modi producendi, diſtinguuntur.

58. Generatio eſt quidem mutatio ſed formaliter & eſſentialiter diſtincta à corruptione, habent etiam diſtinctos terminos, Corruptio itidem ab ānihilatione diſtinguitur ex parte termini ad Quem, per annihilationem enim res totaliter deſinit eſſe, tàm ex parte formæ, quam ex parte Subiecti; in corruptione verò Subiectum remanet, quamuis deſtruatur forma.

59. In Corruptione Subſtantiali fit reſolutio vſq; ad materiam primam, nullâ formâ tàm Subſtantiali quàm accidentali affectam, ibi enim eſt mutatio totius in totum, præterea cum materia ordine quodam ſit in potentia ad formas Subſtantiales & accidentales, prius Subſtantiales recipere debet.

60. Alteratio, eſt motus ad Qualitatem ſenſibilem mediam vel extremam, ſeu ad Qualitatem habentem latitudinem cùm contrarietate; Eius Species tres ſunt, Intenſio, Remiſsio, & Productio, ac etiamſi alteratio ſit vnus motus continu-

us, duas tamen mutationes includit, alteram corruptiuam termini à Quo, alteram acquisitiuam termini ad Quem.

61. Intensio est motus ab imperfectiori esse siue statu eiusdem Qualitatis ad perfectiorem, eodem Subiecto sensibili manente; Remissio verò è contrà; tàm intensio verò quàm remissio nullius prædicamenti res afficiũt præterquã solius Qualitatis.

62. Qualitatis intensio fit per maiorem eius radicationem in Subiecto; ideoq; nec per depurationem eius à suo contrario fit, nec per additionem formæ vel perfectioris qualitatis quæ pristinam corrumpat, nec per additionem gradus ad gradum.

63. Propriè sumpta nutritio competit viuentibus solis, ab augmentatione differt realiter, cùm terminos formales distinctos habeant. Cæterùm Nutritio ad aggenerationem, sicut specificum aliquid & particulare ad genericum & commune comparatur.

64. Per nutritionem pars Substantiæ acquiritur, quatenus tamen est affecta Quantitate, ita vt ex quantitate quâ est affecta, habeat rationem partis, ex se verò solùm fit radicaliter pars: Sũt autem Nutritio & Augmentatio mutationes successiuæ & continuæ, quatenus successiuum instantaneo opponitur.

65 Toto vitæ tempore non modo nutritionis, & augmentationis idem numero manet viuens, alias enim nutritio & augmentatio à generatione non diſtinguerentur; præterea omnes motus continui atq; ſucceſsiui ſupponunt Subiectum in ſuo eſſe Subſtantiali conſtitutum.

66. Nihil poteſt agere in ſeipſum primò & per ſe & ſecundum eandem partem, alias enim agens haberet aliquam formam actu & non haberet. Neq; verò agentis actiuitas redditur formaliter maior per denſitatem vel raritatem aliaſq; conditiones ad agendum requiſitas, his tamen per modum cuiuſdam diſpoſitionis iuuatur.

67. Inter Agens & Patiens ſi communem habeant materiam, ſintq; contraria, & intra Sphœram actiuitatis, datur omninò mutua actio & reactio: cæterùm vt agens Phyſicum producat ſuum effectum ad minus virtutis contactu debet paſſum contingere.

68. Quatuor ſunt corpora ſimplicia: Ignis, Aër, Aqua, & Terra; numerum eorum ex motu quadruplici recto non vanè colliges. Primæ itidem Qualitates quatuor ſunt, cùm omnes præter has ex ijs ortæ ſint ideoq non primæ.

69. Singulis Elementis binæ Qualitates competunt, Calor & ſiccitas, Igni; Calor & humiditas, aeri; Frigus & humiditas; aquæ frigus & ſiccitas,

citas, terræ; ſingula tamen ſecundum naturam ſuam ſpectata, vnam qualitatem habent in ſummo, alteram in remiſſo.

70. Ex quolibet Elemento, poteſt aliud immediatè generari, non ſolum mediatè, ita ex terra aer vel ignis; quamuis facilius tranſmutentur inter ſe Elementa ſymbola, vt Ignis Aer, quam Dyſſymbola, vt Terra Aer, Ignis Aqua.

71. Miſtio & eſt poſsibilis, & datur de facto in rerum naturâ, eſtq; miſcibilium alteratorum vnio; quapropter cum ſit vnio alteratorum, tria requiruntur ad miſtionem, vt miſcibilia ſint Subſtantiæ, vt ſint corpora, vt habeant communem materiam.

72. Elementa virtualiter in miſto manent, non formaliter, iam verò forma miſti non continet formas Elementorum virtualiter ſubſtantialiter, ſed accidentaliter & ratione Qualitatum, quæ in miſto ſecundum ſpeciem Qualitatibus Elementorũ ſimiles, ſunt redactæ ad mediocritatẽ.

Ex libris dè Anima.

73. Animam ſeu dixeris eſſe actum primum corporis Phyſici organici potentiâ vitam habentis; ſiue id, quo viuimus, ſentimus, mouemur &c. nõ deflectes à veritate: eſſẽtialiter enim natura animæ his definitionib9 explicatur per Philoſophũ

74. In nullo compoſito Subſtantiali Phyſico,

 dantur

dantur plures formæ Subſtantiales, ſiue totales ratione prædicatorum Quidditatiuorum, vel vitæ graduum; ſiue partiales ratione partium Heterogenearum; In vnoquoq; præterea viuente, vna tantū eſt forma totalis, nempe anima informans.

75. Satis rectè anima in Vegetatiuam, Senſitiuam, & Intellectiuam, diuiditur, neq; plures inuenire fas; tot ſiquidem ſunt modi quibus operationes animæ, inanimatorum operationes excedunt. neq; plures aſsignare poteris appetitus præter Naturalem Senſitiuum & Rationalem.

76. Quæuis anima eſt tota in toto, ſi intelligatur totalitas eſſentiæ, nulla vero eſt in toto & tota in partibus, ſi virtutis totalitas accipiatur; Iam humana anima omnino indiuiſibilis eſt, tam per ſe quam per accidens, in animalibus quoq, perfectis etiam ratione Quantitatis non eſt diuiſibilis, ſecus in imperfectis.

77 Potentiæ animæ diſtinguuntur ab animâ realiter, cum ad eam ordinentur vt accidentia ad Subſtantiam; dimanant verò ab anima, non per elicitam productionem ab animâ, ſed ad eius productionem conſecutam; vnde dimanatio paſsionum reſpectu eſſentiæ non eſt aliqua actio, ſed connexio naturalis.

78. Animæ potentiæ inter ſe diſtinguuntur eſſentialiter, & ſpecificantur in ordine ad actus

& ob-

& obiecta formalia; cæterum potentiæ, habitus & actus sunt quidem Entia sed nec purè absoluta, nec purè relatiua.

79. Vegetatiua Anima, est principium generandi tale quale ipsa est, siue generandi viuens sibi simile in Specie; hæc verò si accipiatur vt totum quoddam virtuale vel potestatiuum, optimè in tres potentias Nutritiuam, Augmentatiuam, & generatiuam, diuiditur.

80. Tres prædictæ potentiæ distinguuntur inter se realiter, cùm & actus & obiecta distincta habeant; Nutritiua verò potentia, non est temperamentum aliquod primarum Qualitatum, cum nutritiua potentia habeat effectus, excedentes temperamentum primarum Qualitatum, tam in ipsâ Substantiâ rei operatæ, quàm in modo operandi: sed est potentia vitalis superior.

81. Sensus cùm vniatur obiecto per Speciem impressam, sine ea non potest operari, indigent quoq; sensus externi ad eliciendas sensationes medio, ideoq; visibile positum suprà oculum, non videtur: non errat quoq; sensus circa proprium sensibile, potest decipi circa commune.

82. Medium visus debet esse Diaphanum & illuminatum, organum pupilla, aspectus verò bonitas, oritur ex conditione organi & spiritus; fit autem visio non per emissionem radiorum, sed

 per

per intus ſuſceptionem ſpecierum, ita vt ipſa viſio ſit Species expreſſa obiecti, elicita à potentia viſiua, concurrente Specie impreſſa.

83. Benè organum Auditus in aere interno ſeu ſpirituoſa & tenui Subſtantia quæ tympano clauditur, collocatur. hoc intellige diſpoſitiuè, conſumatiuè enim, eſt in illis neruis qui interſe vniũtur.

84. Qui organum Olfactus in interiori parte naſi collocant, errant; odoratiua enim potentia reſidet in parte ſuperiori & cerebro propinquiori, hoc eſt mãmillarib9 carũculis: duplex verò eſt medium Olfactus, Extrinſecum quod defert Species, Intrinſecum quod imbibit, non eſt quoq; neceſſarium Species per totum medium realiter deferri.

85. Guſtus Organum eſt neruus mollior per totam linguam ſparſus, maximè à cuſpide linguæ; medium ei internum tantum eſt, Tactus quoq; Organum, non carnes, ſed nerui intra carnem collocati: in eâ enim mediocritate illi nerui ſunt conſtituti, quam tactus requirit.

86. Dantur Species intentionales, quibus mediantibus Obiectum vnitur potentiæ, non quidem in ſua entitate materiali ſed in repræſentatione & intentione: ideoq; munus Specierum intentionalium eſt, conſtituere obiectum præſens potentiæ.

87. Visus Obiectum Color est & lumen, ille definitur extremitas perspicui in corpore terminato; hoc, actus perspicui vt perspicuum est. Auditus Obiectum est Sonus, qui est Qualitas sensibilis ex collisione corporum sonantium & resilientia medij resultans. Olfactus Obiectum, Odor, hic est Qualitas ex primarum Qualitatum consurgens temperamento. Gustus, Sapor, Qualitas scilicet immutatiua gustus. Tactus Obiectum Qualitates tangibiles tàm primæ quàm aliæ.

88. Intelligibilis Species non solùm dispositiuè concurrit ad intellectionem sed actiuè etiam; iam intellectus post receptionem Speciei concurrit vnà cùm ipsa ad intellectionem, in quantum sunt vnum totale principium intellectionis, magis enim tum vnum fiunt, quàm fit vnum ex materia & forma.

89. Ad intelligendum in nostro Intellectu oportet ponere, potentiam ipsam, ad quam reduci debet habitus seu lumen; Speciem Intelligibilem, intellectionem, & Verbum mentale seu expressam Speciem: intellectio tamen vt distinguitur à conceptu producto non est actio propriè.

Ex li-

Ex libris Metaphyſicorũ.

I.



Phyſica & Mathematica conſtituit diſtinctam ſpeculationis ſpeciem Metaphyſica, cùm diſtinctus ſpeculatiuus habitus diſtincti ſpeculabilis obiecti debeat aſsignari. Eſt verò Metaphyſica ſapientia, cùm per altiſsimas cauſas procedat, ſcientiæ nomen latè illi conuenit, non ſtrictè.

2. Non Ens cõmuniſsimè acceptum, neque Ens finitum ſeu Prædicamentale, non ſubſtantia in communi, non Devs glorioſus, ad extremum neq; Subſtantia immaterialis, ſed Ens quatenus eſt commune Deo & creaturis, Subſtantiæ & accidenti; eſt obiectum Metaphyſicæ adæquatum.

3. Licet ſit adeò vniuerſalis ſpeculatio Metaphyſica, conſtituit tamen ſcientiam. Specie atomâ vnam, eamq; Architectonicam ac velut principem & Reginam aliarum, ad quam pertinet quidditates rerum materialium, etiã in particulari conſiderare in quantum tamen in illis reperiuntur rationes obiectiuæ communes, intra abſtractionem Metaphyſicam contentæ.

4. Quantumuis imperfectus, datur tamẽ conceptus

ceptus Entis formalis præcisus, secundum rem distinctus, à conceptu suorum inferiorum; secus de obiectiuo conceptu intelligendum, hoc enim præter naturam transcendentium esset: quæ sola ratione & secundum Quid ab inferioribus præcisa dicuntur. Vnitas disiunctionis procul hinc tanquam inutilis eliditur.

5. Ens respectu suorum inferiorum neq; est æquiuocum, cùm inferiora eius ad vnam scientiam pertineant; non vniuocum, ita enim esset genus, neq; prædicaretur directè & essentialiter de differentijs; sed est Analogum, & attributionis & proportionis Analogiâ.

5. Sicut in increatis identificantur Essentia & existentia, ita in creatis rebus realiter distinguuntur, necesse si quidem est vt illud fundet distinctionem à parte rei, respectu eius cui sic conuenit quod nec illi essentiale est, nec cum eo in aliquo tertio constituendo essentialiter conuenit, neque ab eadem forma prouenit, sed à principio totaliter extrinseco.

7. Ens secundùm rationem communissimã consideratum, habet omninò passiones vt sunt vnum, verum bonum, alias Metaphysicus habitus scientificus non esset: hæ tamen passiones, a parte rei ab Ente non sunt distinctæ, sed sola ratione: possent enim in infinitùm de vnaquaque earum

 eædem

eædem paſsiones demonſtrari, ſi realiter ab Ente diſtinguerentur.

8. Tranſcendentia ſex eſſe, dicitur optimè: ſcilicet Ens quod ſumitur ab actu eſſendi; Res, hæc ſumitur ab eſſentia; Vnum, à ſui indiuiſione; Aliquid, à diuiſione aliorum: Verum, à conuenientia ad intellectum; Bonum à conuenientia ad appetitum.

9. Proprietates Entis aliæ ſunt ſimplices, vt Vnum, verum, bonum, aliæ coniunctæ, vt eſſe actu vel potentia, eſſe idem vel diuerſum, eſſe contingens vel neceſſarium; inter quas, inſigne diſcrimen eſt: Simplices enim cùm Ente abſolutè reciprocãtur, Coniunctæ verò ſub diſiunctione.

10. Vnum includit in ſe duo: ſcilicet indiuiſionem Entis in ſe, & diuiſionem ab alio: & diuiſio quidem à quocunq; alio, non eſt de ratione vnius, tamen ad ipſum conſequitur: quapropter vnum de formali ratione importat negationem diuiſionis in ſe, ſiue Indiuiſionem.

11. Intelligentias ſeipſis indiuiduari tenemus, in compoſitis autem Subſtantijs, Materia ſignata, eſt principium ſiue radix indiuiduationis, ideoq; forma tam Subſtantialis quam accidentalis non eſt radicale principium indiuiduationis, ſimiliter ſola Entitas ſiue eſſentia rei, ad extremum neque hæcceitas.

12. Verum

12. Verum supra Ens, additione secundum rationem, addit habitudinem ad Intellectum diuinum, quæ dicitur conformitas; circulum enim is committeret, qui verum explicaret per ordinem & conformitatem ad creatum Intellectum. Iàm verum in concreto acceptum primò importat ipsum Ens, secundariò autem habitudinem; abstractè autem consideratum è contra

13. Bonum, secundum essentiam suam & per se primò dicit naturam absolutam, cùm tota ratio boni constituta sit in rei perfectione & absolutione Naturæ; secundariò verò, denotat quandam habitudinem ad appetitum ideoq; ratio appetibilis, sumpta pro Relatione & habitudine ad appetitum, sicut & relatio conuenientiæ, non sunt de essentia boni.

14. In vniuerso, dantur immateriales Substantiæ quæ appellantur intelligentiæ; nam sine creaturis intellectualibus quæ omninò sunt immateriales esset imperfectum vniuersum: inter Intelligentias verò, datur prima & suprema, quæ à Philosophis dicitur prima causa, seu primum mouens, à quo alia dependent in motu, in agendo, & in sua existentia, ipsum verò, à nullo.

15. Certum est non posse à priori demonstrari DEVM esse, esse enim ita DEO essentiale est, vt nallà causâ habeat siue veram, siue ex nostro mo-

 dò con-

do concipiendi & diſtinguendi, quod ad demonſtrationem talem requiritur. à poſteriori tamen optimè poteſt demonſtrari. Quod ſit DEVS. Quis enim pulchritudinem, ſtructuram, & ordinem orbis videns, DEVM negabit?

16. In rebus creatis, ſuppoſitum âddit aliquid reale poſitiuum ad naturam: quòd ſuperadditum neq; eſt ſola indiuiduatio vel proprietas Indiuidualis, neq; ſola exiſtentia, ſed eſt terminus quidam, ſeu formalitas Subſtantialis, excludens modum inhærentiæ & modũ partis communicabilis, reddendo naturam terminatam, & vlteriori termino incommunicabilem.

17. Subſiſtentiam eſſe aliquid diſtinctum à naturâ, non ſolum ex principijs fidei, ſed etiam ex naturalibus poteſt deduci: prius verò terminari Subſiſtentiâ naturam, vltimò verò aduenire exiſtentiam, tanquam primò & per ſe conuenientem ſuppoſito, & mediãte ſuppoſito ipſi naturæ.

18. Inhærentia actualis non eſt de eſſentia Accidentis, cùm Quantitas ſeparata à materia tantumdem loci occupet, quantum occupat in materia, ſecundum Philoſophum 4. Metap: 66. tex: ſed aptitudinalis.

DEO GLORIA.





